





ad p. n. p. 402.
1792, 6 6
349

DE
LIBERORVM LEGITIMATIONE
AN ET
QVATENVS NOBILITATEM
CONFERAT
COMMENTATIO

QVAM
CONSENTIENTE
ILLVSTRI IVRISCONSVLTORVM ORDINE
AD

SVMOS IN VTROQVE IVRE HONORES
DIE XIII. DECEMBRIS MDCCXCII.

RITE OBTINENDOS
ERVditorVM DISQVITIONI

OFFERT

JOANNES FRIDERICVS CHRISTOPHORVS
HESSE

MVnda - HANNOVERANVS.

GOETTINGAE,
TYPIS H. M. GRAPE, ACAD. TYPOGR.

Handwritten in the left margin:
Hesse de liberorvm legitimat[i]o[n]e
et nobilitate
ad . 2



DE
LIBERORVM LEGITIMATIONE
QVATENVS NOBILITATEM
CONSERVAT
COMMENTATIO

AVGVSTVS
CONSENTIENS
H. E. V. T. R. I. V. R. I. S. S. I. M. O. N. I. S. O. R. D. I. N. I.
AD
S. P. E. C. I. E. M. I. N. T. E. R. I. O. R. U. M. I. N. T. E. R. I. O. R. U. M.
D. I. S. C. I. P. L. I. N. A. M. I. N. T. E. R. I. O. R. U. M.
A. L. I. E. Q. U. I. T. A. T. I. O. N. I. S.
I. N. T. E. R. I. O. R. U. M. D. I. S. C. I. P. L. I. N. A. M.
O. F. F. I. C. I. O.
A. V. G. U. S. T. I. N. I. S. P. R. I. N. C. I. P. I. S. C. H. R. I. S. T. I. A. N. I. M.
H. E. S. S. E.
G. O. T. T. I. N. G. E. N. I. S.
A. L. I. I. S. I. N. M. A. G. I. S. T. R. A. T. I. S. A. C. A. D. I. T. I. O. N. I. S.



CONSPECTVS.

A. Pars generalis.

I. Principia veterum Germanorum intuitu natiuitatis illegitimae,

- 1) in genere §. 1.
- 2) respectu nobilitatis; cuius
 - a) origo atque definitio §. 2,
 - b) diversae species indicantur §. 3.

II. Quaedam de legitimatione, fini proposito inservientia,

- 1) de legitimatione per subsequens matrimonium §. 4.
- 2) de illa, quae per rescriptum principis fit §. 5.

B. Pars specialis. — Ubi exponitur, quatenus principia illa infirmata sint

I. intuitu legitimationis per subsequens matrimonium, & quidem

- 1) nobilitatis generatim sumtae. Haec
 - a) iura legitimorum in genere tribuit, attamen vi retrotractiva non gaudet §. 6;
 - b) neque sufficit
 - α) ad acquirendum ius quoddam, probatione nobilitatis avitae indigens §. 7. 8;
 - β) ad successionem in feudis participandam §. 9.
- 2) Singularia quoad nobilitatem superiorem §. 10. 11.

II.

- intuitu legitimationis per rescriptum principis, nominatim
- r) plenae, — quae nobilitatem tantum codicillarem & noviter ad-
quisitam continere potest §. 12. Inde laudato modo legi-
timati
 - a) neque in feudis, bonis stemmaticis & fideicommissis familiae
succedunt §. 13;
 - b) neque nobilitatis avitae praerogativis gaudent §. 14;
 - c) neque insignibus familiae legitimae uti possunt §. 15.
- Pauca quaedam de nobilitate superiori huc spectantia §. 16.
- r) minus plenae, — quae iura successionis numquam tribuit §. 17.

Principia veterum Germanorum intuitu natiuitatis illegitimae 1) in genere;

Quanti apud maiores nostros legitima natiuitas pretii, quantusque contra illegitimae sobolis despectus fuerit, cuilibet notum est, ita, ut vix quidem probatione opus sit, quippe quum vel nostris temporibus inveteratum illud in infelices impuri amoris fructus praeiudicium inveniatur. Superfluum itaque mihi quidem videtur, vel Taciti, vel Caesaris, vetustissimave legum monumenta huc spectantia proferendi, re iam pridem a viris optime meritis extra omne dubium collocata. Excludebantur liberi extra matrimonium nati a successione in bona paterna & materna, multoque minus ad feuda adspirare iis licebat a), id quod

a) DREYER Gedanken, ob die Legitimation durch die erfolgte Ehe den unche-

ad
legi-
illiae
16.
17.



quod in iure feudali saxonico atque allemannico pluribus locis definitum est. Hoc ius admodum singulare, quo innocens delicti a se ipso non commissi poenam luere debet, ex principio illo a compilatoribus speculi saxonici & allemannici: *Neminem aliud, quam sibi innatum ius adquirere* b), merito originem trahit. Atque hinc sequitur, liberos naturales, quum successio in feudo ac allodio non nisi per matrimonium legitimum atque aequale fundetur c), ab omni prorsus successione excludi, longeque postponi liberis legitimis. Neque tum nimirum legitimatio per subsequens matrimonium, subtilioris illud iurisprudentiae romanae inventum, demum iure romano recepto introductum, qua legitimorum natalium defectus adeo purgatur, ut liberi ante matrimonium iam nati vere legitimis aequiparentur, Germanis nota erat d). Neque inter hos legitimationi per rescriptum principis tantam vim fuisse credo, quantam ius romanum illi tribuit, quippe quum imperatorum potestas ad iura successione in praeiudicium agnatorum legitimorum cum illegitimis communicanda, haud sufficiens fuerit.

unehelich gebohrnen Kindern die bürgerliche Wirkung in Betracht der Erbfolge nach alten teutschen Rechten zuwege gebracht. - Vid. ei. Nebensunden p. 263. sqq.

- b) J. P. S. Lib. I. art. 16. „Nin Manne mach ein andir Recht irwerben, als eme angeboren is,, J. P. A. Cap. XIV. §. I. „Neman mache selber Recht erwerben, dan im angeboren.
- c) J. P. S. Lib. III. art. 72. „Das ehelich und freygeborne Kind behelt seines Vater Herschild und nimmet auch sein Erbe und der Mutter, also ob es ihr ebenbürtig ist,, DREYER I. c. p. 274.
- d) DREYER I. c.

rit. Ad confirmandam meam opinionem inter alia multum facit locus quidam in iuris provinc. allemannici cap. 371. obvius, cuius verba haec sunt: „Gewinnet ein Mann einen Sohn unehelichen, den mag der Pabst wohl zu einem Ehekind machen, und auch der Kayser nach seinem Recht. *Aber der Pabst und Kayser moegen ihm das Recht nimmer geben, das sie erben mit andern Magen, als ob sie in ihr Mutterleib Ehekind weren gewesen.*„ Quae vero quatenus recepto iure romano multis modis in Germania faciem mutaverint, infra exposturus sum.

§. 2.

2) *respectu nobilitatis, cuius a) origo atque definitio,*

Nullis legitimae atque immaculae nativitatis splendor magis curae cordique fuit, quam nobilibus. Etenim horum dignitas atque praerogativae, quibus praeceteris eminebant, hanc sanguinis puritatem omnino exposcere videbantur, id quod luculentissime adparebit, si natura atque definitio nobilitatis explicetur. Quod ad nobilium originem atinet, illa ex vetustissimis inde temporibus petenda, multa involuta est tenebris, ideoque variis eruditorum disputationibus obnoxia. Prae reliquis autem verisimillima sententia illorum mihi adridet, qui principio unam solum nobilitatis speciem fuisse, reliquis ingenuis oppositam & hancee nobilitatem ob servitia militaria regi praeflita concessam, in heredes quidem transisse, at inter *superiorem & inferiorem* differentiam nondum

nondum exstitisse contendunt e). Orta autem est haec differentia sequenti modo:

Regum Francicorum, Saxoniorum & Allemannicorum temporibus omnia a Germaniae populis fundata regna a *ducibus*, *comitibus* atque *advocatis* administrabantur, qui coniunctim nomine *seniorum*, *procerum* & *optimatum imperii* veniebant. Quam dignitatem eique adnexum praemium, in terris plerumque consistens, nemo iure possidebat hereditario, e contrario reges potestate, pro lubitu illa quemlibet privandi gaudebant. Si huius ordinis praerogativas nobilitatem *superiorem* vocaveris, tunc quidem *personalis* exstitit nobilitas superior. *Hereditaria superior* prorsus ignota fuit, licet nonnumquam factum sit, ut ob magna patris merita filius locum atque dignitatem parentis retineret. Verae autem nobilitatis *superioris* seu regnantis definitio cum status germanici constitutione tam arcte coniuncta est, ut ante superioritatis territorialis primordia nobilitas superior *gentilitia* cogitari prorsus nequeat. Tandem systemate feudali perfecto, quum beneficia illa regni quibusdam Germaniae familiis fierent hereditaria, nova inter *regnantem* & *subiectam* oriebatur differentia, qua quidem omnis nobilitatis *superioris* & *inferioris* distinctio absolvitur. *)

Ex

e) *Riccus vom landfæssigen Adel*. I. G. CRAMER de iuribus & praerogativis nobilitatis avitae p. 58. III. RUNDE Grundsätze des allgemeinen deutschen Privatrechts §. 338. sq.

*) III. RUNDE I. c.

Ex hoc igitur demum tempore nobilitas *superior hereditaria* originem suam trahit. Jamque nobilitatis *in genere* definitionem facili negotio exhibere possumus. Comprehendit illa nimirum omnia iura atque praerogativas in heredes legitimos transeuntes, quibus nobilis in societate civili fruitur. Totius nobilitatis fundamenta sunt ingenuitas & virtus militaris f). Nullus enim, nisi ingenuus & servitiis regi bello praestitis praeclarus ad hanc dignitatem evehebatur.

§. 3.

b) *diversae species indicantur.*

Inter praecipuas nobilitatis germanicae species, hic considerandas, prae ceteris refertur, quam Spho antecedente iam attigimus, *superior* atque *inferior* nobilitas. Ad illam omnes immediati, superioritate territoriali, nec non voto atque sessione in comitiis imperii gaudentes, id est *principes* nostri ac cuncti, quos vocant *Fürstenthümliche* pertinent. Qui quidem olim titulis *nobilium dominorum, Edle Mannen, Edle Herren* fruebantur, hodie communi *Illustrium* nomine complectuntur g). *Inferior* illos olim comprehendebat ingenuus, qui suis sumptibus patriam contra inimicos defendebant, praesertim qui militiam equestrem eamque perpetuam gerebant, & *Militares, Ritterbürtige, Schildbürtige, zum Schildebohrne* vocabantur. Hisce servitiis patriae praestitis sibi suisque posteris eas adquirebant praerogativas,

A 3

f) CRAMER I. c. p. 56.

g) III. RUNDE I. c. §. 339.

tivas, in quibus nobilitas inferior consistit. A nobilitate superiori in eo differunt, quod superioritate territoriali perfecta, iuribusque inde dependentibus carent; hodie sub iis nobilitatem principis cuiusdam potestati subiectam, *Landsaessigen Adel*, & plerumque corpus equitum imperii immediatorum intelligimus.

Dividitur porro nobilitas ratione originis in *gentilitiam* h) & *codicillarem* i), prout vel liberis, a patre nobili legitimo matrimonio procreatis ingignitur, vel privilegio aut codicillis (*Adelbrief*, *Diplom*) imperatoris eiusve, cui hoc ius concessum est, *iure hereditario* constituitur. Illam legitimam saltim nativitatem supponere, nec unquam in liberos naturales transire, vel inde satis superque constat, quod iura sanguinis immaculati continet, *Codicillaris*, si ad inferiorem nobilitatem spectes, originem suam in Germania Carolo IV. imperatori, liberali privilegiorum largitori debere videtur, quippe quum antiquissima eiusmodi concessionum documenta Carolum auctorem habent k). Quae quum non personali, sed hereditario iure tribuatur atque in posteros propagetur, successu temporis in *gentilitiam* eo effectu transire potest, ut illa praeditis omnibus eorum praerogativis gaudeat, quorum nobilitas primo origine diplomate non est fundata. Numquam tamen eandem ita concedi posse, ut iura nobilitatis avitae, huic soli quaesitae, cum noviter nobilitatis communicentur, infra expositurus sum.

h) (v. STECK) Von dem Geschlechtsadel und der Erneuerung des Adels. Est

i) KLÜBER de nobilitate codicillari,

k) KLÜBER l. c, p. 46.

Est alia inter nobilitatem *mediatam* & *immediatam* distinctio, quarum illa nobilem speciali cuidam Germaniae reipublicae, haec vero aliquem imperatori atque imperio immediate subiectum supponit, in quo quidem praecipua nobilitatis inferioris a superiori differentia consistit, quamquam interdum fieri queat, ut vel inferior in immediata ab imperatore dependentia constituta sit.

Equidem in sequentibus sub voce *nobilitatis* illam in genere, quum superiorem, tum inferiorem intelligam, quocumque loco, quando altera species respectu legitimationis ab altera decedit, rationes differentiae indicaturus.

§. 4.

Quaedam de legitimatione, fini proposito inservientia,

1) *de legitimatione per subsequens matrimonium.*

Illegitimae natiuitatis vitii multis modis mederi *legitimationem*, notum est. Legitimatio seu actus ille, quo liberis illegitimis iura legitimorum tribuuntur, hodie duplex est, altera quae fit per subsequens matrimonium, altera, quam concedit princeps, vel is, cui hoc ius vi tituli singularis competit. Illam cum iure demum romano & canonico in Germania introductum esse, atque omni antea in favorem liberorum naturalium vi caruisse, tanto verius mihi videtur, quanto certius legitimatio haec omnino iurispudenciam haud parum excultam, qua pristinis illis temporibus Germani nondum gau-

debant, supponit. Id quod ex eo quoque adparet, quod ipsis Romanis huius legitimationis effectus olim fuerit incognitus. — Jus romanum per subsequens matrimonium legitimatis eadem, quibus liberi legitimi fruuntur, iura tribuit, ea tamen conditione, ut liberi sint naturales seu ex concubina nati, & matrimonium iam tempore concubitus inter eorum parentes contrahi potuerit m). Jure canonico autem, iuxta benigniorem C. 6. X. *Qui filii sint legitimi* interpretationem n) spurii quicumque, immo & adulterini, modo parentes matrimonium postea vel impedimento pristino sublato, vel dispensatione subsecuta, inire possint, huius legitimationis fiunt participes. Ex utriusque iuris tam romani, quam canonici principiis laudati beneficii fundamentum est solus nuptiarum favor, quem maximi habebant Romani, neque *fictionem*, quam vocant *retroactivam* leges adsumere mihi videntur. Inde quoque legitimationis per subsequens matrimonium effectus non ad illegitimae nativitatis tempus retrahitur, sed a contracto demum matrimonio, quippe quo vitium illud natale purgatur, & conditio, sine qua re vera non datur legitima soboles, impletur, merito existere incipit. Id quod hodie, quum vel spurii eodem modo legitimentur, multo magis adferendum esse puto, siquidem alias fictione illa stuprum, delictis adnumerandum, non solum a poena id sequente liberaretur, sed nuptiis

m) L. 10. 11. & Auth. Quod ius C. de natural. liberis. Nov. 12. C. 4. Nov. 89. C. 8.

n) STRYK usus modern, pandect. Lib. I. T. 6. §. 12.

legitimis prorsus aequale redderetur, quantum quidem subsecuti matrimonii favorem legislatoris intentioni nequaquam respondere existimo.

§. 5.

2) *de legitimatione, quae per rescriptum principis fit.*

Ad alteram legitimationis speciem, quae fit mediante principis rescripto, progredior. Jus romanum illam tantum, quam *plenam* vocamus, novit; apud Germanos autem & *minus plena*, a priori valde diversa, invenitur. Legitimare apud nos quum imperator, vel qui hoc ius eius nomine exercet, v. c. comes palatinus, tum quisque princeps in suo territorio possunt. Simulac vero cum legitimatione ius evehendi ad superiores ordinum gradus, vulgo *eine Standeserhöhung*, coniunctum est, quod in nobilitatis concessione incidit; haec a solo imperatore, quippe cui hoc ius in Germania reservatum o), vel si tantum nobilitas *inferior* conferenda sit, ab eo, cui laudata facultas titulo singulari a caesare concessa, impetrari potest. — Ut legitimatio *plena* optato effectu gaudeat, iure romano-iustiniano p) inter alia requiritur, ne liberi adsint legitimi *); unde quidem hanc infirmiozem esse illa per subsequens matrimonium admissa, cui eiusmodi limitatio non adiecta est, facile colligitur. Cuius differentiae

ratio

o) Perill. PÜTTER in Instit. iuris publ. German. §. 237.

p) Nov. 74. C. 2. Nov. 89. C. 9.

*) Cetera legitimationis plenae requisita tamquam satis cognita repetere nolo.

ratio in eo mihi posita videtur, quod imperatorum potestas, ad ius liberis ex legitimo connubio procreatis prae aliis liberis illegitimis quaesitum, vi legitimationis rescripti circumscribendum non sufficit. Et quamquam respectu univrsae successionis paternae liberis solis legitimis ius non competat, omnes alios invito patre excludendi, quum legitima modo illis debeatur; inde tamen non sequitur, imperatorem hodie indistincte legitimare posse, nec liberos legitimos prae legitimatis ulla gaudere praerogativa. Hoc enim certum credo, legitimam semper liberis ex iusto matrimonio natis salvam manere, etiamsi rescripto ad instantiam patris clausula: *Non obstante* iniuncta sit.

In legitimae autem computatione liberorum modo legitimorum respectus habeatur necesse est. His ea vi legum omni dubio carentium, quid? quod sine ulla restrictione debetur, neque per principis rescriptum, quo liberos naturales declarat legitimos, diminui potest. Magna enim subsequenti matrimonio cum legitimationis rescripto intercedit differentia. Per illud enim defectus, quo illegitima sobolis laborabat, re vera suppletur, & leges eiusmodi legitimatos liberis legitimis prorsus equiparari iubent; princeps autem, cuius legitimatio proprie tantum legitimis non existentibus locum habet, in horum praedictum minime quidquam disponere, legitimamve illis ullo modo diminueri potest, quippe qui ad hanc legitimam nativitate sua ius perfectum adquisiverunt. Neque huius respectu notum illud: *Viventis nulla est hereditas, valet.*

Quam

Quam quidem a legitimatione per subsequens matrimonium differentiam prae reliquis in doctrina de nobilitate se exserere, infra pluribus exponetur.

Restat adhuc altera, quam Germani excogitarunt, legitimationis per rescriptum principis species, scil. *minus plena*, (ceteras enim legitimationes nostris temporibus obsoletas omitto) quae ad delendam natiuitatis maculam impetratur. Hanc, quae legitimatis, sive liberi legitimi adsint, sive desiciant, ius succedendi numquam tribuit, ac natura cuiuslibet nota dubiisque carente gaudet, plane praeterire possum,

§. 6.

Effectus legitimationis per subsequens matrimonium 1) intuitu nobilitatis generatim sunt. Haec a) iura legitimorum in genere tribuit, attamen vè retroactiua non gaudet.

Progredior nunc ad quaestionem: Quem effectum liberorum nobilium naturalium legitimatio habeat, primum de legitimatione per subsequens matrimonium, deinde de illa per rescriptum principis locuturus. Nobilitas quum in heredes transeat, iura continet sanguinis, *legitima* tantum natiuitate acquirenda. Hinc quidem sequitur, *liberos naturales* nobilitatis per legitimationem solum capaces fieri, quoad haec legitimæ natiuitatis defectum suppleat. Quod quum pro rei natura

natura plenissime numquam effici possit, legitimi quoque a legitimis liberis quodammodo semper differunt.

Pristinis temporibus Germanos legitimationem per subsequens matrimonium plane ignorasse, eandem tamen cum iure Romano pariter atque canonico in Germania receptam esse, supra iam exposui. Stringunt legum peregrinarum dispositiones tam nobiles, quam civici ordinis homines, quoad legibus domesticis, singularibus familiarum pactis, generalibusque Germanorum principiis non repugnant. Nam in horum modo subsidium illas obligandi vim habere constat. Sed multum quoque peregrinae leges ad principia germanica sensim sensimque infirmanda contulerunt, id quod respectu legitimationis per f. m. quoad nobiles, inferioris praesertim ordinis, omnino accidit, & tanto commodius accidere potuit, quanto minus leges scriptae generales nobilitatem adjuvarunt, quantoque magis aequitati convenire ius peregrinum visum est. Quum enim ex eodem sanguine liberi illegitimi aequae ac legitimi nascantur, & legitima natiuitas solum inter eos differentiam constituat, huic autem per nuptias post concubitum contractas medeatur, ideoque illegitimae sobolis vitium purgetur, non poterat non, quin leges huic legitimationi faventes applausum sibi pararent *). Quid enim aequitati magis congruit, quam

liberos

*) Suppono autem, matrimonium, per quod liberi legitimandi sunt, ita compatum esse, ut omni modo legitimum vocari possit. Eo igitur casu, ubi matrimonium *aequale* ad participanda iura familiae requiritur

liberos ex iniusto concubitu generatos a poena nimis dura & a semet-
 ipsis non promerita liberari, simulatque princeps contemptus, quo
 adfecti fuerunt, causa tollatur? Neque hoc legitimationis modo li-
 beros legitimos iure quaesito privari puto. Idem enim pater, cui hi
 legitimam debentur existentiam, illegitimos liberos ab eo inde tem-
 pore, quo matrimonium subsecutum est, eadem ratione, qua illi gau-
 dent iusta nativitate, reddidit legitimos. — Quibus ex causis legiti-
 matio per subsequens matrimonium etiam *nobilium* liberis naturalibus
 iura legitimorum in genere, quoties expressae in contrarium non ad-
 sint dispositiones, tribuere, ideoque nobilitatem iis comparari mihi
 videtur. q) Eiusmodi autem leges vel pacta, legitimatos a liberorum
 legitimorum iuribus excludentia sine dubio olim familiae nobiles vi
 autonomiae ipsis competentis constituere poterant, licet hodie, iure ro-
 mano & canonico introducto, nova eorum constitutio maximis obnoxia
 foret difficultatibus, quippe quum legitimi ex constitutionibus impe-
 ratorum romanorum & pontificum, vim legis in Germania nactis, ius
 quaesitum sint adepti.

In definiendo tempore, ex quo inde legitimi per f. m. hisce le-
 gitimorum iuribus fruuntur, eorum castra sequi non dubito, qui reiecta,
 quam supra iam adlegavi, fictione retroactiva, initium a subsecuto
 ma-
 tur, legitimatio per subsequens matrimonium *inaequale* pleno effectu
 minime gaudebit.

q) Jo. SAM. STRYK diff. de legitimatione liberorum naturalium regum
 & principum, Vid. Ei. oper. Vol. XI. diff. 5. p. 168. TIRAQUELL de
 nobi-

matrimonio repetunt. Hinc diiudicandum, utrum ius primogenituræ, aliaque prerogativæ, natu maioribus competentes, etiam legitimo adscribi debeant, nec ne, id quod eo casu, quo matrimonium intermedium post susceptionem naturalium intercessit, omnino in quaestionem venire potest. Si enim ex utroque parente liberi tam naturales, quam legitimi nati sint; nulla erit disceptatio, siquidem naturales per matrimonium parentum subsequens ipso iure fiunt legitimi, ideoque iam ante liberorum ex iustis nuptiis natorum existentiam legitimi, ætatis quoque prerogativis gaudeant, necesse est.

§. 7.

b) neque sufficit a) ad acquirendum ius quoddam probatione nobilitatis avitæ indigens.

Quam constitui, regula: *Legitimationem nimirum per subsequens matrimonium nobilitatis iura tribuere*, — quibusdam tamen exceptionibus obnoxia est. Nobiles quum multis sæpe, iisque insignibus præ aliis fruuntur commodis, omnem lapidem moverunt ad excludendos ab hisce iuribus omnes, quibus sanguinis puritas non est perfectissima, quive ulla natiuitatis macula laborant. Casibus igitur iis, quibus vel publicæ solemnitate gratia splendoris conservatio necessaria videbatur, vel redituum quorundam amplissimorum numerus requirebat, ne candidatorum multitudo nimis ampla esset, remedium huic fini optime infer-

nobilitate C. XV. n. 21. Riccius Entwurf von dem landstætsigen Adel in Deutschland. P. II. C. 2. §. 8.

ferviens aliosque praeter nobiles excludens excogitaverunt, probatio-
nem puto nobilitatis avitae, seu uti vocatur, *die Ahnenprobe*.

Qua quidem exposcitur, ut is, qui iurium illorum particeps fieri
cupiat, certum avorum aviaramque numerum, quem mores vel statu-
ta requirunt, eorumque *legitima & aequalia* matrimonia indubitatis te-
stimoniis vel documentis probet, seque ex illis in legitimo matrimo-
nio natum esse, demonstrare possit r). Hoc itaque modo non natura-
les solum nobilium liberi, sed indirecte etiam legitimated per subse-
qui matrim. tamquam ex legitimis nuptiis non procreati, sed postea
demum hoc iuris beneficio instructi, a nobilitatis avitae praerogativis
arcentur. Viget hic mos antiquitate sua, numquam in Germania re-
probatus, legibus potius fundamentalibus confirmatus s), nec umquam
legitimated per subsequens matrimonium ad obtinenda haec immacula-
tae solum nobilitatis iura admissa sunt. Numerus avorum probando-
rum pro diversitate foundationis, vel acquirendae dignitatis varius est.
Interdum 4. nonnumquam 8. saepe 16. & plures requiruntur avi avi-
aeque. Jam vero, quando haec nobilitatis avitae probatio necessaria
fit, videamus.

§. 8.

- r) J. G. ESTOR praktische Anleitung zur Ahnenprobe, C. II. §. 23. I. G.
- s) CRAMER de iurib. & praerogativ. nobilitatis avitae eiusq. probatione,
C. IV. §. I.
- s) J. P. O. Art. V. §. 17. Capitul. Leopoldi Art. IV. §. 13. & Art. XVI,
§. 10. CRAMER l. c. Cap. IV. §. 2.



Temporibus mediū aevi ad *torneamenta & ludos equestres* admittebantur nulli, nisi qui quatuor avos suos ex *legitimo & aequali* matrimonio ortos probare potuerint, id quod in iure provinc. saxonico & allemannico dispositum invenimus t).

Ex quo igitur cuivis intellectu est, legitimatos per f. m. laudatorum ludorum participes non fuisse. Licet vero hodie eiusmodi torneamenta rarissime instituantur, vel plane in desuetudinem abierint, recentioribus tamen temporibus aliae nobilium exercitationes, torneamentis non profus dissimiles, in Germaniam invectae sunt, v. g. *die Carrouffels, Ringeltrennen* &c. ad quos quidem ludos soli perveniunt avitae & probatae nobilitatis homines, quid? quod non quatuor, sed 32. interdum requiruntur avi aviaeque v). Sic porro pleraque canonicorum cathedralium collegia non nisi probata nobilitatis puritate pariter ac antiquitate, haec beneficia sectantes recipiunt, nec, quamvis pontifices romani saepissime hanc consuetudinem impugnarint, hominesque vilioris conditionis obtrudere capitulis tentaverint, usus ille antiquitate & perpetuis erga pontificem molimina contradictionibus suffultus, unquam tolli potuit. Inde etiam legitimatis per subsequens matrimonium expresse

t) J. P. S. Lib. I. Art. 51. Lib. III. Art. 29. J. P. A. Cap. 51. cf. D. G. STRUBEN von dem Ursprung und Vorrechten des alten niedern deutschen Adels §. 8.

v) Plura hac de re cognoscere qui cupit, evolvat CRAMER. l. c. p. 332.

praerogativam hancce denegarunt, ac, uti praxis & observantia nos docent, quotidie adhuc eos excludunt v). — Quin immo in pluribus aliis collegiis secularibus, v. c. statuum provincialium, equitum imperii immediatorum x), in camera imperii &c. avita nobilitas magna gaudet praerogativa; nec ad ordines sacros militares alii, quam §. 16. vel 32. avisi avisque illustres admittuntur. Ceterum omnibus iis casibus, ubi exacta nobilitatis avitae probatio requiritur, legitimated per subsequens matrimonium iure legitimorum non gaudent, hoc enim tam ex ipsius probationis definitione fluit, quam moribus confirmatur.

§. 9.

β) *neque ad successionem in feudis participandam.*

Primam hancce regulae exceptionem altera sequitur non minus insignis, quae in exclusione legitimatorum per f. m. a successione in feuda consistit. Licet enim multi iique eruditissimi viri legitimatos tantum per rescriptum principis illius successionis incapaces putent, reliquos autem per subsequens matrimonium tales admitti velint, attamen contraria me convictum esse sententia fateor. — In hac enim quaestione quam maxime controversa Germanorum veterum principia omnino haud negligenda mihi videntur, quippe quum feuda, tamquam proprium Germaniae institutum, non demum cum iure peregrino nobis innotuerint. Jus potius longobardicum pariter ac romanum, quae uno

co-

v) CRAMER l. c. C. IV. §. 2. p. 195.

x) STRUBEN l. c. §. 6.

eademque tempore in Germaniam inuenta sunt, subsidia modo manent, ita ut non prius ad illa recurrendum, donec legibus & consuetudinibus domesticis destitutos nos sentimus.

Feuda, secundum primaevam naturam nobilibus tantum adscripta, in naturales filios, ob nativitate maculam nobilitatis expertes, non transferebantur, id quod etiam iure longobardico dispositum, & adhuc usque diem observatum animadvertimus. Jus feudale saxonicum aequae ac allemannicum expressis illos verbis successione in feuda privandos esse, pronuntiant y), nec praeterea res ullo amplius dubio obnoxia est. Quum vero tunc temporis legitimatio per f. m. incognita, nec ullis in favorem liberorum naturalium gavisata fuerit commodis, profecto inde sequitur, nec filios hoc modo legitimatos feudorum participes fieri potuisse. Vi illarum dispositionum tam liberis legitimis, quam domino feudi directo ius acquirebatur, omnes ex iustis nuptiis non procreatos a successione in feuda excludendi, quod sub nullo praetextu iis subtrahi potuit. Successu temporis quum ius peregrinum in Germaniae foris adhiberetur, & Longobardorum constitutiones adplausum mererent, non potuit non, quin textus ille II. F. 26, quo dispositum, "naturales filios

y) J. F. S. Cap. II. "Und die unehelich gebohren sind, und alle die nicht von Rittersart von Vater und von Eltern-Vater gebohren, die sollen Lehnrechts darben." Cap. XXI. "Der Sohn behelt des Vaters Schild und Adel nach seinem Tode zu Lehn-Recht, sofern er ehelich gebohren ist." J. F. A. Cap. I. §. 4. "Und dienüt ehelich gebohren sind, die sullent alle Lehn-Rechts darben."

filios, licet postea fierent legitimi, ad successionem feudi nec solos, nec cum aliis admitti, animo reciperetur paratissimo z). Quid enim Germanis exoptatus esse poterat, quam principia legesque suas vel iure peregrino confirmatas habere? Nonne hoc modo illarum conservationem tanto maiori iure expectare poterant? — Et certe, si has rationes consideremus, adserendum quoque erit, Germanos laudato illo iuris feudalis textu absque ulla ad legitimationem per rescriptum principis restrictionem usos esse. Verumtamen legitimationis per f. m. in iure romano atque canonico favor, & indefinita legitimatorum in iure longobardico exclusio a successione in feudo, occasionem dedit, recitatum iuris feudalis textum ad solos per rescriptum principis legitimatos restringendi, illosque per subsequens matrimonium ad successionem admittendi. Licet vero ad iuris civilis & canonici decisionem tunc recurrendum sit, quando constitutiones Longobardorum rem indefinitam relinquunt; minime tamen iisdem leges atque principia Germanorum in re, non demum per ius longobardicum in Germanio introducta, postponenda, sed potius prae omnibus aliis adplicanda sunt, praesertim quum ipsa iuris feudalis longobardici verba obscuritate non laborent, & cum Germanorum principiis quam maxime congruant. Nec ratio mihi adesse videtur sufficiens ad dubia movenda, & exceptionem quaerendam, quando lex ipsa clare ac generaliter eo casu loquitur, quo tanti momenti exceptionis omnino necessaria fuisset mentio.

C 2

Quod

z) Jo. God. BAUER diss. de successione legitimorum per nuptias, exsule in feudo §. 15, sqq.

Quod ad obiectionem illam, ius provinc. allemannicum ipsum legitimatos per per subsequ. matrim. successione in feudis capaces in c. 374. declarare a), attinet, verba memorati cap. *eygen und Lehen* tantum ad successione in allodio spectare, vel potius compilatorem speculi hic principia iuris canonici, in quibus contraria d. textus feudalis fundatur sententia, secutum esse, solide demonstravit J. G. BAUER b), qui praeterea & reliquis, quae vulgo obiici solent, argumentis tam acute, quam erudite occurrit, ut hac de re latius adhuc disserendo nil nisi satis dicta pariter ac cognita repeterem.

Quibus igitur rationibus eo inducor, ut successione in feudis ius proprium liberorum nobilium legitimorum prae legitimatis per subsequens matrimonium continere, neque hanc legitimatorum exclusione, in pluribus territoriis *lege expressa* determinatam *), exceptionem tantum a regula esse, sed regulam ipsam constituere censeo.

Magna

a) „Hat aber ein Mann eine Frau zu lediglichen Dingen, und hab Kind bey ihr lützel oder viel, und nimmt sie darnach zu rechter Ehe, was sie Kind lediglichen mit einander gehabt haben, da sie einander zu der Ehe nahmen, da sind sie alle rechte Kind worden, und erben eygen und Lehen von Vater und Mutter, und von andern ihren Fründen, als woll als die Kinder die sie hernach gewonnen, so sie einander zu Ehe nahmen.“

b) in diff. cit. §. 23. 24.

*) v. c. in terris Guelferbitanis & Calenbergicis per constitutionem *Henrici Julii* de a. 1593. & Recessum Gandershemens. de a. 1601. §. 31.

Magna igitur & haec liberorum legitimorum praerogativa, nec minus domino directo, quam agnatis proficua, & maximi tunc momenti, si obviente successione optima hereditatis defuncti pars in bonis feudalibus consistat. Ex quo inde adparet, legitimationem per subsequ. matrimonium, licet iura nobilitatis in genere tribuat, maxime tamen ratione effectus a natalibus vere legitimis recedere.

Quamvis itaque per subsequens matrimonium legitimi feudorum successione non sint participes; concludi tamen inde nequit, eosdem ne in bona quidem *stemmatica*, quae vocantur, succedere posse. Ad haec enim participanda quum neque probatio nobilitatis avitae requiratur, neque lex prohibitiva scripta, quod secus in feudis, obstat, omnino admittendi sunt. Hic enim nulla de iure tertii obvenit quaestio, quoniam iustum & legitimum nativitatis tempore iam existens matrimonium ad successionem in haecce bona non opus est, e contrario sufficit; si vitium nativitatis per subsequens matrimonium legitime initum purgetur, & sic defectus legitimorum natalium postea *vere* suppleatur.

§. 10.

Singularia quoad nobilitatem superiores.

Hactenus tantum de nobilitate in genere sermo fuit. Superest, ut nonnulla de nobilitate *superiori* figillatim dicam. Quanta hac in re de effectu per subsequens matrimonium adsit controversia, quanta in

eruditorum sententiis varietas, id neminem fugit, huius materiae non plane ignarum. Alii legitimatos reliquis liberis ab initio legitimis profus aequiparari volunt, alii a successione in territorio saltem illos excludunt, ad leges non minus quam ad observantiam provocantes. Licebit igitur, quidnam hac de re sentiam, proferre, multum quamvis absit, ut litem hanc a pristinis inde temporibus motam, neque hodie decisam, aliquatenus finire audeam. Certe enim indecisa tamdiu manebit, donec illi lege expressa, qua huc usque caremus, a legislatoria Germaniae potestate prospectum fuerit.

Illustres nostri pariter ac nobilitas inferior ius romanum atque canonicum quidem receperunt, nec tantum subditis, sed sibi metipsis tanquam normam agendi subsidiariam, observandum iusserunt. Leges Romanorum scriptae, quum multis Germanorum consuetudinibus, nulla scriptura munitis, succedente tempore derogarent, & nova nec hucusque in Germania cognita introducerent instituta, non poterat non, quin legitimatio per subsequi matrimonium, nunc demum in Germania usitata, etiam nobilitatis iura impugnaret. Licet igitur hic legitimandi modus in nobilitate inferiori non sine effectu fuerit, *Illustres* tamen ad conservanda pristina principia, omnemque iuris peregrini vim sibi obnoxiam amovendam, maximam operam navarunt, praecipue quatenus successio hereditaria in quaestione veniebat, & legitimatus per s. m. liberorum legitimorum praerogativas fecum communicari cupiebat. Nec ipse pater eiusmodi legitimatorum hos liberis legitimis aequales & successione in territorio participes decla-

declarare poterat, nisi gravissimam legitimorum atque agnatorum contradictionem metuere vellet, id quod exemplum illud *Alberti degeneris*, Marchionis Misniae, ex illo tempore desumptum, quo ius romanum Germanorum fora occupare coepit, manifestissime probat c). Hic enim quamquam omnem lapidem moveret, ad successionem in territorio filio suo *Apizio*, cum *Cunigunda ab Eisenberg*, viva adhuc legitima uxore procreato, & postea per subsequens matrimonium legitimato, comparandam, maximam tamen a filiis legitimis expertus est repugnationem, ad mortem usque filii Apizii durantem. — Neque vero & recentiori aevo exempla desunt, quod legitimi per f. m. a successione in territorio exclusi sint, quorum praecipua habeo *Philippi Comitis a Falkenstein* ductaeque 1552. ab eo *Casparae Holtey*, nec non ex seculo XVIII. *Leopoldi Eberhardi*, Ducis Württembergensis & *Elisabethae Charlottae de l'Esperance* 1714. d).

§. II.

Sicuti igitur exclusio legitimorum a successione in territorio per observantiam confirmatur, ita quoque haud deslituta est rationibus, eiusmodi rigorem excusantibus, licet idem generali imperii lege haud nitatur. — Secundum constitutionem germanicam statuum

impe-

c) MOSER Teutsches Staatsrecht, Tom XIX. p. 29.

d) MOSER Familienstaatsrecht derer Teutschen Reichsstände Tom II. Cap. 17. §. 76. Perill, PÜTTER primae lineae iuris privati principum §. 27. b.

imperii possessiones plerumque magna ex parte in feudis consistunt, quae quidem cum ceteris eorum allodiis adeo commixtae sunt, ut in successione casu utraque a semet invicem vel plane, vel saltem absque maxima difficultate separari nequeant, nisi alias principis territorium nimis tenue, & ad servandum splendorem familiae necessarium prorsus insufficienter fieret. Quum igitur successio in feudo ad liberos legitimatos non transferatur, hoc autem plerisque casibus indissolubiler cum allodio coniunctum sit; necesse est, ut ab utroque liberi per subsequens matrimonium legitimi excludantur. Id quod multo magis tunc adferendum videtur, quando in quibusdam illustrium familiis ius primogeniturae introductum est, quippe quum hic legitimatorum ad successione admissio illius constitutionis finem, ad bonorum individuitatem spectantem, prorsus irritum faceret. —

Accedit & alia ex inaequali matrimonio desumpta ratio. Hoc enim quum apud illustres pleno effectu civili non gaudeat, quamvis ex iusto thoro liberi procreati sint, matrimonium vero subsequens, per quod illustrium liberi legitimentur, plerumque & inaequale sit, (ut non minus aequale cogitari queat) inde sequitur, neque ex hac ratione liberos legitimatos successione in territorio capaces fieri posse e).

Legitimatis itaque nil nisi successio in iis bonis salva erit, quae territorio nondum inseparabiliter iniuncta sunt, v. c. novita acquisita,

vel

e) Perill. PÜTTER l. c. §. 27.

vel uno verbo privatum principis dominium, liberae sui ipsius dispositioni relictum, in quo cum ceteris liberis legitimis succedere valent. Quod autem si forsan ad sustentationem non sufficiat, ut iisdem alimenta convenientia a domino territorii porrigantur, necesse est.

§. 12.

Legitimation per rescriptum principis plena nobilitatem tantum codicillarem & noviter adquisitam continere potest.

Absoluta iam prima legitimationis specie, ad alteram, quae per rescriptum principis conceditur, maioribus adhuc dubiis involutam transco. Legitimatione plena nobilitatem per se proprie non confert, supplet tantum iura deficientis legitimae nativitatis, quoad hoc salvo iure tertii fieri potest. Si vero & elevationem ad superiorem ordinem, seu ut eam vocamus, *eine Standeserhöhung* continet, huius in legitimationis concessione expressis verbis fiat mentio, necesse est. Nobilitas itaque hoc modo adquisita privilegio imperatoris nunc demum impetrato fundatur pertinetque, uti res ipsa docet, ad nobilitatem *codicillarem*, longe ab illa diversam, quae iusta nativitate propagatur, seu *gentilitia*. — Videamus igitur, quonam effectu legitimatione plena gaudeat, si nobilis liberos suos naturales vel existentibus legitimis, vel secus, succedendi iurium participes reddi cupiat.

D

§. 13.

*Legitimati per rescript. princ. a) neque in feudis,
bonis stemmaticis & fideicommissis familiae
succedunt.*

Jus romanum constitutis semel liberorum legitimorum prae naturalibus praerogativis, omnia quoque prohibuit, quae dispositionem hanc irritam facere possent, ideoque nec legitimationem principis, legitimis adhuc liberis cestantibus, admisit. Quam constitutionem, sane rationi quam maxime convenientem, hodie ita mutavimus, ut etiam legitimitio illo casu, quo apud Romanos permessa non fuit, concedi possit, modo in litteris legitimationis ad instantiam patris clausula: *non obstantibus liberis legitimis* inserta fuerit. Quo facto, ut quidam volunt, legitimati omnibus legitime natorum iuribus gauderent. Supra iam contendi, hoc casu salva tantum liberorum iustorum legitima, principem legitimare posse, quoniam alias ius tertii quaesitum laederetur. Idem illud multo maiorem in nobilitate recipit usum, siquidem hic iura legitime natorum quaesita non in iure solum succedendi, sed in aliis etiam eorum praerogativis multiplici modo se exerunt. — Quod ad successionem *primum* attinet, legitimati ex mea quidem sententia omnium eorum bonorum participes fieri nequeunt, quorum dispositio ultimo defuncto non relicta est, & quorum adquisitio legitimam poscit nativitatem. Huc praecipue refero *feuda, bona*, quae vocantur *stemmatica, & fideicommissa familiae*. In hisce enim omnibus ius exclusi-

vum

vum' competit' liberis legitimis, nec eorum acquisitionem ultimo defuncto, qui illis itaque huiusmodi bonorum nil detrahere potest, sed primo acquirenti debentur, quid? quod si feuda spectes, expressa gaudent lege II. F. 26. Quae quidem iura liberis solis legitimis quaesita tam sancte sunt servanda, ut a nullo imperante laedi debeant, nec plenitudo potestatis ad eorum abolitionem extendi possit. Et licet ex altera parte iniquum videretur, liberos naturales, qui cum legitimis ab eodem patre ortum trahunt, hisce adeo postponi; secundum leges tamen, hoc legitimorum natalium ius praecipuum confirmantes, aliter iudicandum non erit. Huius quoque respectu vulgare illud: *Viventis non est hereditas*, vim omnem amittit, quum liberi legitimi re vera legitimorum patri minime succedant, sed ea tantum adipiscantur bona, in quibus sibi ius futurum radicatum, post mortem patris demum exigibile, dudum competit. — Hisce igitur deductis, in ea, quae supersunt, bona cum liberis legitimis succedunt legitimati, salva illis tamen ad minimum legitima, ad quam diminuendam legitimati computari nequeunt.

Quidquid haecenus de liberis legitimatis respectu ad liberos legitimos contendi, valet tamdiu, quam nullum legitimum familiae membrum existit.

Omnibus hisce extinctis ultimo possessori demum de bonis stemmaticis & fideicommissis familiae licet disponere, id quod in feudo aliter se habet.

b) *neque nobilitatis avitae praerogativis gaudent.*

Praeter successionem porro deterior legitimorum conditio in acquirendis iis commodis est, quae probationem nobilitatis avitae requirunt, v. c. in admissione ad plerosque canonicatus maiores, ordines militares &c. qui hanc liberorum legitimorum praerogativam vi observantiae constituerunt. In qua enim probatione quum ante omnia legitimum, quod nativitatis tempore iam existit, matrimonium nobilitasque avita pariter ac immaculata deducenda sit, filii autem legitimati, nobilitate recens demum imperatoris codicillis impetrata, neque prius, neque posterius probare possint; facile sequitur, eos nec eiusmodi nobilitatis tantum avitae iuribus frui. Et quamvis clausula illa caesareis diplomatibus inserta, atque a Maximiliani I, inde temporibus repetenda, f) qua novis hominibus 4. 8. vel 16. tribuuntur avi aviaeque, nonnullis sufficiens visa sit ad nobilitatem avitam supplendam; semper tamen hoc modo nobilitati ab avitae nobilitatis iuribus & praerogativis exclusi sunt g). Haec enim imperatoris concessio, *salvo iure tertii* interpretanda, contra ipsius voluntatem iniqua foret, si capitulis, ordinibus militaribus, aliisque nuper creati homines obruderentur, id quod etiam in legibus imperii fundamentalibus prohibitum est. *)

f) KLÜBER de nobilitate codicillari p. 67.

g) CRAMER l. c. p. 170. sqq.

*) J. P. O. Art. V. §. 17. Capitul. Leop. II, Art. IV, §. 13. Riccius vom Landfaehsigen Adel P. II, C, 9. §. 10.

§. 15.

c) *neque insignibus familiae legitimae uti possunt.*

*Tertia liberorum legitimorum a legitimis differentia consistit in iure insignium sive armorum familiae, quod quidem legitimo tribuere sibi nequeunt. Jus insignium, pristinis temporibus solius nobilitatis avitae praerogativam verosimile continens h), hodie quidem cuique fere ab imperatore, huius dignitatis fonte, facile conceditur, haud ita tamen, ut insignium cuidam familiae iam competentium extraneus particeps fieri, & in eius praedictum illis uti possit, cui quoque rei in capitulationibus caesareis prospectum est i). — Quam insignia familiae, tamquam signa ad fidem datam testificandam, vel, in superiori praesertim nobilitate, ad demonstrandas possessiones iam iam acquisitas vel demum acquirendas hodie semper in heredes *in flor* transeant ideoque horum praerogativam faciant, hinc sine dubio sequitur, liberos naturales familiae legitimae arma tribuere sibi non posse. Nec iis imperator natalium defectum vel consentiente patre ita supplere potest, ut insignium familiae legitimae usus cum iis communicetur. Id enim capitulationi contrarium foret, quum ius liberorum legitimorum praecipuum laederetur, ad quod infirmandum nec*

D 3

patris

h) CRAMER l. c. p. 355.

i) Capitul. Leopoldi II. Art. XXII. §. 3. "Auch keinen derselben, wer er auch sey, zum Praejudiz oder Schmälerung irgend eines alten Hauses oder Geschlechts, desselben Dignitaet, Standes und üblichen Titels, mit neuen Praedicaten, höhern Titeln oder Wapenbriefen begaben." RICCIUS l. c. P. II, C. 18. §. 4.

patris consensus sufficit. Quomodo enim pater ius liberis diminueret potest, cuius ipse auctor non fuit, & quod cuiuscumque familiae legitima membro per se iam adhaeret, illegitimum vero partum excludit? Ne id quidem, familia licet extincta, in extraneum transferre ei permissum est k), multo minus itaque eadem adhuc existente.

Quas si omnes legitimorum prae naturalibus liberis, etsi hi legitimi sint, praerogativas spectes, magna legitimationis per rescriptum principis ab ea, quae per subsequens matrimonium fit, adparebit differentia, ex qua facile colligere possumus, illam hac multo esse infirmiore. *Illa* codicillarem tantum comparat nobilitatem, *haec* gentilitiam, licet certo respectu imperfectam, *illa* ius ad bona stemmatica, fideicommissa atque insignia familiae non tribuit, quod in hac iterum fecus.

§. 16.

Pauca quaedam de nobilitate superiori.

Uti legitimatione per s. m. in nobilitate *superiori* successio in territorio non acquiritur, ita & hoc multo magis de legitimatione per rescriptum principis merito locum habet, quippe quum rationes supra iam adductae hic maioris sane ponderis, partim ob splendorem illustrium conservandum, partim ob ius liberis legitimis quaesitum adplicandae sint l). Re vera hic inter utramque nobilitatem nil discriminis

k) Riccius l. c. §. 6.

l) MOSER Familienstaatsrecht derer teutschen Reichsstände Tom. II. C. 17. §. 77.

criminis intercedit. Etenim quum superior, tum inferior liberos naturales, etiamsi per principem legitimati sint, ad successionem in bonis, ab ultimo defuncto haud acquisitis, nequaquam admittunt, nec imperatores umquam eiusmodi liberos legitimis prorsus aequales declararunt. Attamen ratione concessionis illius diplomatis, quo liberi illustrium ita legitimantur, ut simul superioris dignitatis participes fiant, superest adhuc in eo differentia, quod hoc legitimandi ius solus sibi imperator reservaverit, etsi maior impetrata sit comitiva m).

§. 17.

*Legitimatio minus plena iura successionis
numquam tribuit.*

Absolutis nunc tam per subsequens matrimonium legitimatione, quam quae *plene* per rescriptum principis conceditur, restat, ut & legitimationem *minus plenam* attingam, de qua autem parum hic dicendum. Haec enim ad maculam natiuitatis tantum delendum, & iura legitimorum in societate civili acquirenda imploratur, minime vero successionem in bonis paternis tribuit. Nobilitatem itaque tunc modo confert, si eiusdem in legitimationis diplomate expresse facta sit mentio, eaque nobilitas nulla alia esse potest, quam *codicillaris*, omnibus avis aviisque privata, nec legitimae familiae ullo modo praedjudicans officit.

m) MOSER l. c. §. 79.

THESES.

I.

*Privilegia in re aliena per non usum triginta annorum
amittuntur.*

II.

Leges ad praeterita adplicari nequeunt.

III.

Liberi ex sponsa nati pro illegitimis sunt habendi.

IV.

Res semel iudicata in simili causa pro lege non habetur.

V.

Ex errore iuris solutum tamquam indebitum repeti nequit.

ULB Halle


3

004 833 155



Sl





B.I.G.

Farbkarte #13

Handwritten title on the spine: "Vollst. Methode der Liberos legitimatior. et quod nobilitas"

Handwritten numbers: 1792, 6 6 / 349

DE
LIBERORVM LEGITIMATIONE
AN ET
QVATENVS NOBILITATEM
CONFERAT
COMMENTATIO

QVAM
CONSENTIENTE
ILLVSTRI IVRISCONSVLTORVM ORDINE
AD

SVMOS IN VTROQVE IVRE HONORES
DIE XIII. DECEMBRIS MDCCXCII.

RITE OBTINENDOS
ERVDITORVM DISQVIGATIONI

OFFERT

JOANNES FRIDERICVS CHRISTOPHORVS
HESSE

MVNDI - HANNOVERANVS.

GOETTINGAE,
TYPIS H. M. GRAEPE, ACAD. TYPOGR.